

bene affectos, seque aliquoties adora-  
 tum ab eis iuxta oraculum: Pergit tamen  
 eos exercere, & cogit amplius oraculum  
 confirmare, antequam se eis patefaciat,  
 vt magis eos humiliet, quos sciebat fero-  
 ci ingenio esse, certoq; cognoscat, vtrum  
 fratri in extremo periculo succurrere pa-  
 rati sint. Mandat præfecto domus, im-  
 plere saccos frumento, quantum omni-  
 no capiant, reposita in iisdem cuique sua  
 pecunia. Hæc gemina beneficentia est,  
 vt supra cap. 42. versic. 25. Techna igitur  
 hæc licet seria, beneficentiæ frater-  
 næ argumentis mixta est. Scyphum de-  
 nique suum in sacco iunioris recondi  
 iubet. Hæc mandata sub noctem ipsis  
 suauiter & secure dormientibus œcono-  
 mus ab hero accepit: vnde paulo post  
 in summum mœrorem coniciuntur:  
 Moneat id nos de instabilitate rerum  
 humanarum. Quoties enim lætitia dif-  
 fluiamus, metus omnis securi; infortu-  
 nium fere est præforibus; gaudium cum  
 subito luctu commutans: Sicut de fine  
 14.13 humani gaudij dicit Salomon: *Etiā in  
 risu dolet cor: & exitus lætitiæ tristitia.* Ma-  
 ne factō digressos ab vrbe, quasi non bo-  
 na principis gratia, iubetur œconomus  
 armata manu persequi, comprehendere,  
 probris insectari. 1. Vt hospites in-  
 gratos: *Quare reddidistis malum pro bono?*  
 Ingratitudine nihil fœdus, etiam inter  
 barbaros: Ea est, pro bono non redde-  
 re bonum. At longe fœdissima, pro bo-  
 no rependere malum. 2. vt fures: *Non  
 iste est, &c.* LXX. hic inserunt. *Quare  
 furati estis scyphum meum argenteum? Non-  
 ne est, ex quo bibit Dominus meus, & ex quo  
 diuinans diuinat?* Est amplificatio crimi-  
 nis à præstantia rei furtiæ, quod scy-  
 phus sit diuinus, cuius ablatio proinde  
 sit sacrilega. Iubet vero ministrum sic  
 loqui ex opinione vulgi Ægyptiaci,  
 quod multum tribuebat auguriis, cum-  
 que Ioseph haberetur celebratissimus  
 regni vates, cum quoque diuinationi-  
 bus magicis deditum putabat. Id facit,

A vt fratres magis in opinione de se, quod  
 Ægyptius esset, confirmet. Quidam a-  
 liter verba interpretantur: An non Io-  
 seph Dominus meus ex hariolis cogno-  
 uit, quos consuluit, vos scyphum ab-  
 stulisse? Et sic fere etiam Onkelos: *An  
 non inuestigans inuestigauit, nempe ex au-  
 guribus.* LXX. *αὐτὸς δὲ οἰωνισμῶν οἰωνι-  
 ζεταὶ ἐν αὐτῷ: Dominus meus augurio augu-  
 rari solet in eo: quæ videtur simplicissima  
 sententia: Dominum suum in diuina-  
 tionibus vti hoc scypho consuesse, id-  
 eoque charissimum habere. Idem post-  
 ea versic. 15. fingit Ioseph. Nostri inter-  
 pretes multo aliter, ne sit necesse excu-  
 sare Iosephum de Magia: *Ipsæ hæc re certo  
 experimento discet, quales sitis:* quasi dicat,  
 hoc demum factō penitus innotescet  
 Domino meo, vos per fraudes ei cona-  
 tos esse imponere. Sed nescio an verba  
 textus eiusmodi sensum patiantur, quæ  
 sic habent *וְיִנְחָם בְּרוּחֵהוּמָהּ*: ad verbum:  
 & ipse diuinans diuinabit, vel diuinat in eo:  
 C De præterita vero magia, & toto hoc lu-  
 su excusando, non est cur laboremus.  
 Si finem spectemus & animum Iosephi  
 omnia bene habent: Spectat enim vti-  
 litatem fratrum, & catastrophem ipse  
 paulo post facit lætissimam, Si vero mo-  
 dum actionis, fuit aulica vexatio nimis  
 seria & periculosa. Scyphum occultat  
 dolo: magicas artes Ægyptiorum proba-  
 re & suas facere videtur, cum supra di-  
 uinationem suam soli Deo vendicasset:  
 fratres quos nouit infontes, calumniose  
 D infimulat fœdissimorum criminum, in-  
 gratitudinis & furti, inque grauissimum  
 mœrorem coniicit, vt videtur sine cau-  
 sa. Nam satis iam explorauerat, vt ri-  
 gore prope modum excedat. Quamuis  
 autem serio non agat: tamen serio age-  
 re, & magus esse putatur, ac licet fra-  
 tres reliqui vexationem tantam mere-  
 bantur: Benjamin tamen iniuria sic ex-  
 agitatur. Neque caret periculo examen.  
 Quid si fratres dolo & criminationibus  
 tam pudendis incitati, maledicta male-  
 ff dictis,*